

## Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

## 1616.

In die Circumcisionis Domini P. Capucinus *Dominicus* concessionem de amore erga Deum habuit secum assumpto chalibe et reliquis ad ignem excitandum necessariis, sc. toto ignitabulo: in ipso suggestu ignem excussum candelamque incendit applicans omnia spiritualiter ad gratiam Dei, quae in homine nihil operatur, si ipse homo obicem opponat et eam oblatam a se reiiciat.

Steyr.  
Eine anschauliche Predigt.

30. Ian. *Andr. Greffing* de interiori senatu atque his temporibus supremus urbis capitaneus *Styrae* more aliorum lutheranorum sepultus est. In hoc suo officio virum sese exhibuit, maxime si quid contra principem terrae attentatum fuit, ut ex multis literis in aedibus suis post mortem relictis et repertis conspici potuit. Haec res ideo memorabilis videri poterit, quod praecedenti anno, ut dictum est, maxima cum pompa, qualis talem hominem non decuit, cum magno equitatu sponsae suae eodem die obviam processerat. Hodie autem mutata vice per aliam portam et pontem non minori, sed luctuosa pompa ad sepulturam deductus est. Casu non factum videtur.

Begräbnis.

Magna et densissima copia nivium superioribus diebus terras, campos montesque cooperuerat, sed 13. Ian. unica nocte propter continuas copiosissimasque calidas pluvias tota dissoluta evanuit.

Witterung.

Festum s. Mauri, primi discipuli s. Benedicti, in *Garsten* magna cum celebritate in choro peractum est, licet Rmus. *Viennae* abfuerit, quo statim in principio mensis cum aliquot famulis discesserat. Quam vero ob causam illuc abierit quidve eodem in itinere expediverit, liquido non constat, in actis revidendum erit.

Garsten.

Maxima asperitas frigoris et hiemis per plures dies circa 20. Ian. adm. acriter male vestitos homines afflixit, propter quam causam R. P. Capucinus satis viliter et leviter vestitus eodem die concessionem brevissimam ad parochianos habuit, de quo non adeo multum aggravati fuere; hoc vero frigus usque in sequentem mensem continue perduravit.

Witterung.

Uxor D. *Leonardi Radlmayr* ante annum defuncti, licet iam paulo ante viro lutherano pistori civi Styrensi nupserit et nuptias iam celebrarit, anniversarium III. Febr. pro anima in Christo pie defuncti viri in parochiali ecclesia celebrari curavit. Postmodum omnibus, D. parocho, cooperatori ceterisque ecclesiasticis personis, remuneratione satis liberali satisfecit. Laude digna femina!

Steyr.  
Jahrtag.

8. Febr. R. D. P. *Ioannes Vivarius Aquensis*, de Soc. Iesu sac., post meridiem *Styra* in equo transivit, qui, licet

Kälte.